DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Sabbati vigeſimâ-nonâ menſis Maii, Anno Domini M. DCC. LI.

PRÆSIDE.

M. JOSEPHO-EXUPERIO BERTIN, Doctore Medico, Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis Medico ordinario, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socio Veterano.

An Condimenta ſanitati noxia?

I.

SORS una eademque imminet omnibus celerique gradu properat. Fatum ineluctabile! Cujus ſolo nomine totum pectus contremiſcit. Æquo enim vitam proſequuntur amore felix & miſer, pauper atque dives, nec niſi deliræ mentis eſt mortem ſibi conſciſcere. Quis tamen inter mortales ſapit! Neglecto enim vitæ theſauro collectis quaſi viribus præcipites ruunt ad tumulum, & hoſtis indomiti, mortis nempè, nedum repulſam moliantur imò ſilentem provocant inconſulti. Si quidem rebus quæ ad longævitatem perducunt adeò abutuntur, ut mirum ſanè ſit quod tamdiu ſani ſubſiſtere queant. Quot & quanta à cervice detorqueant mala Hygieines legibus addicti, niſi infauſtâ edocti experientiâ nunquam agnoſcunt. Hinc omne ſibi permittunt intemperantiæ genus. Hi enim gloriæ vel fortunæ mediocris impatientes ne minimum quidem ſibi permittunt otium. Illi mollitiei illecebris deliniti perpetuo quaſi indulgent ſomno; hinc ſoboleſcit numeroſa morborum cohors. Non minùs metuendum ab errore diætæ in uſu rerum non naturalium, ſed nullibi ferè graviùs & frequentiùs peccatur quàm in cibi potûſque delectu. Alia nempè alimenta præ aliis habent homines, ſed ſapore ducti non verò ſalubritate, fallacis voluptatis victimæ, non ſaluberrimos ſed palato gratiſſimos ingerunt cibos; hinc condimenta in eduliis adeò jactata, quæ quidem abuſu planè ſunt ableganda. Morbus enim palati delicatioris nunquam non ſocius brevì præſto eſt. Villoſa enim humani corporis compages facilè labem in iis contrahit qui ſapidis delectantur cibis: ſolidorum enim tonum fluidorumque temperiem in quibus ſtat ſanitas pervertunt.

I I.

CORPUS humanum automaton quoddam hydraulico-pneumatico-elaſticum, artificioſiſſimè conſtructum ex partibus ſolidis & fluidis aptè inter ſe coordinatis conſtat. Dum humore irrorari deſinunt ſolida tunc rigeſcunt & exſiccantur, pariter ubi humores ab ipſis ſolidis nec ſubiguntur nec propelluntur tunc ſtagnant, ſpiſſeſcunt & putreſiunt. Vita igitur reciprocus eſt tum ſolidorum tum fluidorum motus, qui ſi ſit æquabilis ſanitatem conſtituit. Servatur autem ille motus æquabilis & reciprocus ſive ſanitas quando ſolida non vividiùs premunt quam ipſa premuntur; hoc enim in ſtatu fibræ nec ſunt rigidiores nec laxiores, fluidaque debitâ donantur temperie, & ritè exercentur functiones. Quantacumque ſit tamen ſolidorum & fluidorum eucraſia brevì ex ſuâ naturâ corrueret humana machina, perpetûò enim motu quo circumaguntur humores quidquid ipſis ineſt tenuiſſimum in auras avolat, quidquid verò craſſius per propria excernitur colatoria, undè brevi exhaurirentur, ſolida verò aſſiduâ oſcillatione concuſſa & attrita, citò diſſilirent, niſi cibis ritè ſumptis indeſinenter reſarcirentur hæc damna; alimenta autem in ore commoluntur, in ventriculo convertuntur in chylum, & indè fit amiſſi reparatio tum in ſolidis tum in fluidis. Quis verò inficias iret ſuccos & humores aſſumptorum indolem retinere. Quantâ igitur curâ eligenda ſunt quæ in noſtram ſubſtantiam debent converti ut præcaveatur ſolidorum fluidorumque labes. Ideò Medici, inter cæteros quoſque cibos, temperatis, frigidis, inſipidis, aqueis, mucilaginoſis eſſe indulgendum conſentiunt, ut ſanguinis naturæ & motui non parum congruis. Ex his enim obtinentur alimenta quæ univerſalia vocaveris, ut potè temperamento & ſexui cuivis convenientia. Quàm verò ab illis recedant dotibus quæ ſale acri oleoſo & volatili turgent, vel ſale acido ſalſove ſcatent! Liquores indè acriores evadunt & ſpiſſiores, ſolida conſtringuntur, ſicque tota perturbatur animalis œconomia.

I I I.

QUEMADMODUM in eo ſtat ſanitas quod villi flexiles liberè & æqualiter moveantur tenueſque ſint humores & mitiſſimi, ſic in villorum rigiditate, tenſione, irritatione necnon in fluidorum craſſitie & acredine ſtat omnis ferè morbus. Dum enim erethiſmo corripiuntur ſolida, inordinata ſuccedit fibrarum oſcillatio, vel tota perit. Succorum per fibrarum canales præter labentium curſus aut minuitur vel prorſus ſiſtitur: tunc ſtagnantes ſucci nec ritè conteruntur nec probè defæcantur. Si lentore peccant humores, ſolida hiſce propellendis ſiunt imparia, ſtagnant itaque & putreſcunt, ſales & olea quibus conſtat ſanguinea moles in varia concreta faceſcit, quæ huc vel illuc appulſa mirificas agunt tragædias; ſi acredine fibras ſtimulant, crebriores evadunt illarum oſcillationes, nimis & indè attenuantur ſanguinis & cæterorum fluidorum moleculæ, ſaliaque ſulphure blando ſpoliata acriora redduntur, ſicque ſanitati tuendæ prorſus adverſantur. Ex his liquidò patet aſſiduam & æqualem ſanguinis per minimos corporis tubos circulationem tum vitæ tum ſanitatis præcipuum conſtituere fundamentum. Quidquid igitur nativum fibrarum tonum & genuinam ſanguinis indolem immutare potis eſt, cane pejus & angue vitandum eſt. Hæc ſanè mali moris in ſuo ſinu recundunt condimenta. Fateor quidem linguam & palatum vividiùs & jucundiùs ab illis excitari, ſed citò hæc voluptas quàmplurimis compenſatur malis. His enim in uſum vocatis, ſolidæ partes indurantur, corrugantur; ſucci inſpiſſantur & in coagulum concreſcunt. Nec minùs menti quàm corpori labem affricant. Animi enim tumultus ab humorum

æſtu, acredine, necnon à nervorum nimiâ tenſione ſæpiſſimè ducit natales. Humores enim quamdiu ſunt mites noxiiſque ritè expurgati, tamdiu adeſt mentis tranquillitas. Quod ſi fortè vividâ & ſubitaneâ mentis cogitatione commoveantur nervi, & erethiſmum ſuſcipiant, citiſſimè compoſiti ad blandas & ſolitas oſcillationes reducuntur.

I V.

QUIDQUID vitii contrahunt ſolida & fluida, illud ex rerum non naturalium abuſu jurè repetendum. Quas inter primatum tenent alimenta, ſuam enim chylo temperiem impertiuntur. Sed qualis eſt chylus, tales ſunt humores. Ergò alimentorum præcæteris habenda eſt ratio. Ideò ſanè Medici in illa hygieines parte diutiùs inſiſtunt; illa tantum admittenda exiſtimant alimenta, quæ ad noſtram ſubſtantiam propiùs accedunt, ſic ipſemet Boerhaavius (a) *Cibus cenſetur optimus qui ſimpliciſſimus, parùm fœculentus, acrimoniâ omni carens, haud præditus magnâ mobilitate ſuarum partium, ſano noſtro corpori ſimillimus, aut illi facilè aſſimilandus per vires noſtras concoctrices, &c.* Qualia ſunt farinacea, olera, animalium carnes, quæ tantùm elixatione, aſſatione, frixatione, ſuffocatione, præparari ſinit. Tunc enim, præcipuè ſi aquoſo diluantur potu, generatur chylus fluidus, blandus, dulcis, non æſtuoſus, non acris aut irritans, undè ſanguini cæteriſque humoribus ineſt debita fluiditas, partibus ſolidis mollities & laudabilis flexilitas. Eâ de causâ repudienda conſulit condimenta de quibus ſic habet; (b) *condimenta ex acidis, ſale, aromatibuſve petita nocent ſanis, acrimoniâ ſuâ noxiâ, vaſcula tenuiſſima lædunt, & falſo appetitu per ſtimulum excitato corpus gravant plus quam nutriunt.* Quid igitur non eſt metuendum ab ingeſtione aſſiduâ acrium, aceſcentium, & ſalinorum; inſpiſſatis fluidis, corrugatiſve ſolidis, nullo modo defæcari poſſunt corporis humani liquores; exindè enim inſpiſſantur fluida quòd ſanguis ſalibus tum acidis tum acribus fœtus variè concreſcat. Sanguinis enim ſerum ab affuſis acidis, in denſum & caſeoſum condenſatur coagulum. Dum verò acribus ſcatet, etiam ſi minùs ſolideſcat, in grumos tamen pars ejus oleoſa cogitur. Nec leviùs attingunt ſolida; horum enim acriori ſtimulo irritantur, convelluntur, criſpantur fibræ, in noſtris potiſſimum regionibus, ubi fibræ ſatis ſpontè diſtenduntur, facilèque erethiſmum patiuntur. Quot igitur damna noſtris impendent cervicibus ex illis procatarticis diſpoſitionibus? Sanguinis enim motus minuitur, ſecretiones & excretiones tardiores evadunt, ſtagnant, putreſcunt humores, ac tandem ad interitum ruunt omnes omnino functiones. Hinc enim inſpiſſati liquores per vaſorum extrema anguſtiora protrudi nequeunt; illinc & etiam ſolida criſpata, vaſorum extrema adeò coercent, ut liquoribus intra vaſa contentis tranſitus præpediatur, undè tumultus ſolida inter & fluida, quo ſcilicet eorum craſis, mixtio, forma, textura ita deſtruuntur, ut malignam prorſus induant indolem. Reverà quid mirum! Deficiente depuratione, ſanguis blandam deponit ſuam diatheſim. Dum enim liquores ad extrema corporis propelli non poſſunt, dum cutis ſpiracula & urinarii coercentur pori, tunc noxii in ſanguine retinentur ſales, undè producuntur aromaticæ, muriaticæ, alkalinæ, oleoſæve acrimoniæ, pro variâ ingeſtorum naturâ, ſicut & in primis viis ſaburra ex digeſtione malè peractâ; operoſior enim eſt digeſtio dum ſuccus gaſtricus acrior evadit, minor ejus ſecernitur copia, & alimentorum partibus ſubeundis & ſolvendis eſt minùs idoneus. Teſtatur experientia. Olera enim, fructus, ſemina, animalium carnes, longè feliciùs colliqueſcunt in aqueo menſtruo impoſita, quàm in ſapidis liquoribus, in quibus è contrà ſæpiſſimè indurantur.

(a) Tract. de Τγιέιν n°. 1033.

(b) Ibid. 1040.

V.

A ſanis igitur removeantur condimenta; temperamento phlegmatico non meliùs quàm calido conducentia; ſua enim cuique natura, ſua etiam ſanitas; in utroque moliri mutationem, dum bellè ſe habent, periculoſiſſimum eſt, nec quidquam movendum niſi exceſſus vitio ſit, quod ſi accidat, tunc iis ut remediis uti poterunt. Hinc egregiè proſunt acida ubi ſanguinis aut bilis fervorem compeſcere, alkalinam acredinem retundere, coagula ſulphurea ex acribus ſalibus oriunda reſolvere volueris; nec tamen te fugiat nervis eſſe infenſa, ventriculum enervare, colicos inducere dolores, renes, veſicam, pulmones, omneſque membranas graviter offendere. par erit ratio ſi laxior ſi fibrarum ventriculi tonus, quàm ut alimenta licet concocta in inteſtina extrudere valeat. Si ventriculi ſuccus, ex nimio ſero aut ſpirituum defectu, ſit vappidus, ac proindè ad peragendum ciborum concoctionem minùs idoneus, tunc temporis ſua laus eſt & energeia aromatibus. Nec minoris ſunt momenti quando ex ſolidorum laxitate fluida ita concreſcunt ut à ſolidis propelli nequeant, tunc ſalibus volatilibus & oleoſis in uſum vocatis, redintegratur fibrarum oſcillatio, cujus ope talia ſolvuntur concreta, brevique præſto eſt ſanitas. In his autem exhibendis maximâ opus eſt cautelâ, urentem enim in corpore calorem accendunt, in ſolidis erethiſmum, in fluidis efferveſcentiam concitare valent: diuturniori uſu, ſanguinis fluidori parte copioſius emiſsâ, reſiduum magis ac magis ſpiſſeſcit. Nec tutior eſt ſalis ſalſi uſus. Licèt enim ſal marinus eximiis extollatur dotibus, calefaciendi nempè, exſiccandi, abſtergendi, digerendi, aperiendi, incidendi, ciborum appetentiam provocandi, venerem ſtimulandi, veneris reſiſtendi, ut ſtimulus tamen hos omnes exerit effectus, nec impunè in uſum vocatur. Corporis enim membranas vellicando, fibras ad vividiorem oſcillationem cogit, undè æſtus per totum corpus intenditur, functioneſque læduntur. Longè magis eſt timendum ubi fibræ ad erethiſmum ſpontè jam diſponuntur; tunc enim coarctatis vaſis ſal totus in ſanguine retinetur, hinc acriores fiunt humores, inſenſiliſque perſpirationis materies hæret in ſummâ cutè, undè pruritus, ſcabies, & alii affectus cutanei, rheuma, podagra, ſcorbutus, aliaque ſymptomata ex ſanguinis muriaticâ conſtitutione oriunda. Qualia igitur à naturâ offeruntur alimenta capiant, qui vitæ conſulunt & ſanitati. Sapiens enim providentia ſuum cuique dedit condimentum, corpori accommodatiſſimum, & prorſus innocuum, ignotum ſane iiſqui gulæ irritamentis, & liquoribus ardentiſſimis perpetuò indulgent, in his enim ita indurantur papillæ, ut vix aquâ ſtygiali commoverentur. Quantâ autem ex cibo ſimplici afficiatur voluptate palatum, ut ita dicam, virgineum, teſtantur aquæ & lactis potatores. Iis legibus addicti mortales fibrarum ſanguiniſque naturalem conſtitutionem ſervabunt; molles iis & flexiles remanebunt villi nervoſi; omnes corporis humores erunt ſummè fluxiles, nec ſpiſſi nec viſcidi, nec in grumos coacti, minimè æſtuoſi, nec acres, nec rodentes. His præmiſſis nobis concludere liceat.

Ergò Condimenta ſanitati noxia.

Proponebat Pariſiis JACOBUS GOURLEZ DE LA MOTTE, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.